



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,  
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo  
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1709**

Articulus III. De reiterantibus baptisma, ac eorum pœnis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](#)

verbū *jaretur* innui, ad eam pœnam re-  
quiri sententiam Judicis.

## ARTICULUS III.

*De reiterantibus baptisma, ac eorum  
pœnis.*

788 A ltera pars hujus tituli est de Anaba-  
ptistis, seu illis, qui rebaptizant, vel se  
rebaptizari sinunt. Nam hæc rebaptizatio  
(nimis baptismu semel ritè collato) ex-  
pressè prohibetur in c. non licet, c. cum itaque,  
dist. 4. de Consecrat. & in Tridentino less. 7.  
de Sacramentis in genere can. 9. & can. 11.  
de bapt. Item less. 14. c. 2. intellige tamen  
de rebaptizante, vel rebaptizato *absolutè*.  
Nam ubi adeo iustum dubium de baptismō  
ritè suscepit, illum reiterare sub conditione,  
prohibitum non est. Et cum sèpè contin-  
gar, quibusdam nasci justum, seu prudens  
dubium de baptismō validè suscepit, quoad  
illos meritò reiterari potest, sed solum sub  
conditione, si reverè prius validè baptiza-  
ti non essent. Ideo Cardinalis de Lugo in  
respons. moralib. dub. 1. n. 3. docet, baptis-  
mum, *in capillis collatum*, esse quidem pro-  
babiliter validum, posse tamèn, & debere  
reiterari sub conditione. Et dubio 2. n. 4.  
resolvit, baptizatum à Ministro Calvinista,  
posse, & debere baptizari iterum sub condi-  
tione, si alicubi sint tales circumstantia, ut  
prudenter dubitari, aut formidari possit de  
defectu materiae, vel formæ, aut intentio-  
nis debitæ. Imò Propositus, & Sylvius  
volunt, ad reiterandum baptismum sub  
conditione, sufficere prudentem suspicionem  
de nullitate prioris. Quintanaduennas au-  
tem Tract. 1. singular. 1. n. 1. dicit: si Paro-  
chus, aut obstetrix fateantur, se ex pluribus,  
quos baptizarunt, circa aliquos, sibi com-  
muniter ignotos, intentionem non habuisse,  
omnes illos per totum illud tempus ab  
ipsis baptizatos, iterum baptizandos esse sub  
conditione. Singulari autem 9. n. 3. te-  
net, infantem, inter Catholicos expositum  
ad Ecclesiæ, vel alicujus domis valvas, cum  
appensa collo schedula, *baptizatum esse*, te-  
stificante; sub conditione rebaptizandum  
est. Ratio omnium petitur ex maxima

necessitate baptismi ad salutem æternam,  
qua, ubi prudens dubium est, de illo ritè  
accepto, cum circa ullam Sacramenti irreve-  
rentiam obtineri possit, per baptismi rei-  
terationem sub conditione, non mo-  
dò negliginon debet, sed positivè proce-  
rati.

Ex pœnis autem culpabiliter reiteran- 789  
tium baptismā, prima est irregularitas, vi-  
cujus ad Ordines, saltē superiores, pro-  
moveri non potest. Hæc pœna afficit à for-  
tiori ipsum rebaptizantem, cum afficiat et-  
jam ejus Ministrum ut dicitur c. 2. h. t. intel-  
lige tamen, si hujus peccatum sit publicum;  
non autem, si occultum. Non afficit au-  
tem rebaptizantem *sub conditione* (licet  
inconsulto, & temere agat) sed solum re-  
baptizantem *absolutè*, vel *scienter*, vel etiam  
per *ignorantiam crassam*, & *mortaliter cul-  
pabilem*; & si crimen, seu rebaptizatio sit  
publica. Sic Layman l. 1. tr. 5. p. 5. c. 2. à  
n. 1. juxta textum in c. 2. h. t. quod videtur  
admittere promotionem *in occulto*, non fa-  
ctā mentione dispensationis; incurrit autem  
ipso facto per c. 2. h. t. ibi: *ad Ordines  
promoveri non valebit*, nullā factā mentione  
sententia; Zoësius h̄c n. 7.

Qui verò *scienter* sinunt se rebaptizari 790  
*absolutè*, simpliciter fiunt irregulares, ut ad  
Ordines Ecclesiasticos nullā ratione promo-  
veri possint, prout habetur in c. *confirmandum*, dist. 90. junct. Gloss. V. *rebaptizari* c.  
*Afrōs. d. 93. c. qui in qualibet 1. q. 7. c. Eos.*  
Dist. 4. de consecrat. Not. autem, quòd  
citati textus solum loquuntur de *reiterantibus*, & *rebaptizatis*; non autem de illo,  
qui *confirmationem* bis dedit eidem, vel ac-  
cepit; unde in hos prædicta irregularitas  
non est statuenda, ut colligitur ex c. *Is qui*  
de sent. Excommunicationis in 6.

Altera pœna *scienter* rebaptizantis 791  
est, *depositio*, si Clericus sit; vel *excom-  
municatio*, si Laicus. c. *Eos, quos*, dist. 4.  
de consecr. & c. ult. dist. 51. & hæc de Jure  
Canónico: nam de jure civilitam rebapti-  
zantes, quam rebaptizati, ultimo supplicio  
afficiuntur. l. 1. & 2. c. ne sacram  
baptisma iteretur.

Y QUÆ

Tom. V.